



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. VII. Videt Christum in forma Crucifixi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

22 . T 2 VITA B. IOSEPH  
inuenire; haud dubium, quòd eos à  
tali solatio magna meritorum distan-  
tia & prærogatiua specialis gratiæ  
separaret.

CAPVT VII.

*Videt Christum in forma Crucifixi.*

**R**EVELAVIT se post hæc puero  
suo, nostro Samueli, ipse Domi-  
nus I E S V S, non in formâ pueri, sed  
in specie Crucifixi. reuelauit autem  
sic: Contigit in ciuitate Coloniâ non-  
nulla domorum mœnia incēdio con-  
flagrare, vbi puer Domini vicinus  
tunc temporis habitabat, Ruentibus  
multis, vt, si possent, sedarent incen-  
dium; vel ( sicut moris est ) saltem in-  
spicerent; beatus puer etiam inter  
alios festinus accurrit. Et ecce, mirum  
in modum in medio incendij Basili-  
ca quædam stabat: quæ licet vndique  
ignibus premeretur, protectione di-  
uina permanfit inusta. Admirantibus  
cun-



cunctis, & miraculum sibi inuicem demonstrantibus, puer admirabilis coepit hęc cum ceteris admirari: cum-  
 que Basilicam diligentius admirando respiceret, ecce, apparuit illi Dominus *Videt Chri-*  
 IESVS in specie Crucifixi, stans in *stum in*  
 vna parte summitatis Basilicę non *formacru-*  
 ardentis. Sensit & intellexit puer sen-  
 satus, illam partem Basilicę, propter  
 pręsentiam Crucifixi, non ardere. Sed  
 rursus pueriliter est dubitare permis-  
 sus, (vt mirabilibus mirabilia suc-  
 cederēt,) quare in alijs Ecclesię parti-  
 bus, in quibus formam Crucifixi non  
 vidit, non posset incendium domina-  
 ri. Et cüm omnes Ecclesię partes cu-  
 riosius circuiret: quocumque se verte-  
 bat, eandem speciem Crucifixi, in  
 omnibus partibus contra se stare pro-  
 spexit, & domum propriam ab incen-  
 dio defensantem. Mirabatur sanè tunc  
 corporaliter fieri, quod etiam spiritua-  
 liter multò potius fieri postmodum  
 est expertus: videlicet, fidem & me-



moriam, & maximè imitationem vitæ Domini crucifixi, contra omnia vitiorum incentiua valere, vt verè  
 Psal. 137. posset dicere cum Psalmista: Si ambulauero in medio tribulationis, uiuificabis me Domine; & super inimicos meos extends manum tuam, & saluabit me dextera tua.

## CAPVT VIII.

*Duodecimo ætatis anno mundum deserit,  
 ac Steinfeldiæ candido Præmonstrati  
 Ordinis habitu induitur.*

**I**N tantis reuelationum cōsolationibus infantiâ teneriore decursâ, (quæ ex plurima multitudine ad nostram notitiam peruenerunt paucissimæ) statim vt potuit persentire, quid esset; benedictionem dulcedinis (qua præuentus erat à Domino) indicijs euidentibus puer Domini declarare studebat. Et cum iam circiter duodecimum ætatis annum ageret; relicta latâ  
 & spa-